

De epitheti in periphrasi substantivorum trajectione.

Jam aliquot ante annos quum studiis ad Graecorum tragoedias collatis legerem ultimum Philoctetae chorum, verba v. 1124 *πολιᾶς πόντου θινός ἐφήμενος* me adduxerunt, ut diligentius in id elicendi genus trajectionis inquirerem et rationes ejus explorarem digereremque. Nam quae G. Hermannus, vir in gramaticis rebus explicandis sagacitate atque subtilitate admodum eximius ad illum locum adnotavit, ejusmodi sunt, in quibus quum nihil omnino nisi hoc quod explicare placet idioma quasi attigerit, rationem non addiderit, nemo profecto acquiescere possit. „Nota inquit, *πολιᾶς πόντου θινός* quod dici debebat *πολιοῦ πόντου θινός*, ut apud Homerum *θῆν' ἐφ' ἄλός πολιοῦς*. Ita solent tragici epitheta nominibus non suis applicare, dummodo notiones quibus opus est in tota verborum complexione adsint.“ Hoc igitur dicendi genus esse per Graecos late diffusum fatetur quique meliora edoceri velint, eos conferre jubet Eur. Herc. Fur. v. 396 et Lob. Soph. Aj. v. 7. Sed quidquid ibi legitur, in Hermannii verbis eam vim inesse constat, ut epitheti trajectionem quae omnino dicatur illam quidem ex divino quodam animi furore natam esse velit, quo poetae furore ideae veritate correpti neglectis consueti sermonis legibus ad majorem dicendi transferendique audaciam oratio procedat. Nam quo altius evolat animus, eo major est orationis sublimitas: quum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt, ita ut fiat tum gravior, tum splendidior etiam oratio. Haec fere est et verborum granditas et sententiarum sublimitas, quibus poesis naturam et vim cognoscamus quae qui poetarum studio indulgent, magnam admirationem faciunt, quae tenent, quae etiam atque etiam alliciunt.

At quum aut poetas novimus aut scriptores certum scribendi genus excoluisse in eoque excolendo potissimum versatos esse, non sufficit perscrutari quid qualeve sit illud genus, sed unde natum et quomodo ad alios scriptores translatum ejusque fines per varia dicendi genera sint propogati. Quod ut appareat, hujus formulae quasi historiam tradere placet, unde per quos gradus a lenibus principiis huc usque provecta sit transferendi audacia conspiciatur. Quid autem fuerit audentibus extremum, quaerere incassum putamus, quum neque codicum auctoritatibus confisi simus saepius inter se discrepantibus neque exemplorum copia Lobeckii in veteribus scriptis versatissimi suppeditet. Sed fac eam suppeditare, opinamur tamen non e solo numero satis cognosci poetarum quoddam genus dicendi neque minus quid admissum sit e paucis exemplis perspici, dummodo sit qua demonstretur via atque ratio. Qua de caussa poetas tragi-

cos inter eosque Sophoclem potissimum legi, exempla haud quaquam sparsa diligenter congressi congestaque in examen vocavi, sperans fore ut dictionem illam tragicorum poetarum maxime propriam paullulum illustrare possim. Eam autem placuit viam ingredi, ut primum de substantivorum periphrasi unam notionem efficientium disseram, deinde de epithetis nomini principali additis pauca addam.

Quicumque virorum doctorum studiis litterarum antiquarum se dedidit, pro certo habet, qui naturam et indolem Graeci sermonis et incredibili fere formarum numero et verborum structurae varietate et magnificentia compositionum eximii velit cognoscere, oportere eum cursum suum repetere ab Homero quasi parente linguae, in cujus poematis innumerabiles insunt dicendi formae et verborum structurae, quae a scriptoribus subsequentibus magis excultae, liberiore usu ascitae, ad diversissimas res trajectae sunt. Nam apud Graecos antiquissimum est e doctis genus poetarum. Plurimum autem profuit Graecorum linguae excolendae, quod et poetae et scriptores ingenuorum hominum instar invicem sibi opem tulerunt cuncta et verborum et constructionum copia ab uno quoque recepta et aucta atque Homerum apprime imitati sunt. Quod cadit etiam in eam verborum structuram quae *περιφρασις* dicitur. Quam quidem structuram jam apud Homerum a lenissimis simplicissimisque principiis ordientem ex epica poesi latius provehere atque extendere fines poetae potissimum tragici studuerunt. Nam periphrasi quae dicitur substantivorum in unam notionem coalescentium epitheta ita copulaverunt ut non ad Genitivum, id quod sententia videtur requirere, sed ad Nominativum vel casum primarium referrent ac tanta interdum sunt addita audacia, ut sententiarum conformationes faciles sint ad intelligendum, ad exprimendum saepius difficillimae. Ita nota est eximia illa Graecae poesis dictio, in qua poetae nomen periphrasticum trajecto ab altera circumlocutionis parte cuius proprium erat epitheto augeant insigniantque.

Jam periphrasis substantivorum quae vulgo fertur unde orta sit simplicissimus atque maxime naturalis testis Homerus est. Est autem periphrastica illa circumlocutio nihil aliud nisi dissociatio vel distractio in partes suas, ita ut quod universale sit, quod singulare, ab illo veluti vinculo coercitum quasi oculis adspicias. Nam quod Vechnerus (Hell. II, 8) voluit discrimen esse, id non satis ratione fultum esse videtur neque singulae partes magnopere discrepant. Statuit enim circumlocutionem fieri unius dictionis, cum pro una voce plures substituamus aut unius rei, cum unam aliquam rem pluribus vocibus adumbremus. Neque vero ex vocibus rebusve quae circumscribuntur periphrastica illa locutio, sed ex nominibus aestimanda est circumlocutionem efficientibus. Unde simul in diversis dicendi generibus certa vocabula ab scriptoribus usurpata esse apparet. Quare magis ad veritatem accesserit Vechneri iudicium postea periphrasin substantivorum eam dicentis, cum unum substantivum duobus poeticè circumloquamur, natura et conditione ipsius simul expressa.

Sed redeamus ad illam unde defleximus periphrasis definitionem. Universalis igitur et singularis notionis consociato talem efficit circumlocutionem, ut unam personae reive naturam comprehendere atque intueri tanquam speculo possis. Unde simul nomina abstracta et concreta primum quoad notionem non admodum distincta fuisse exemplorum usu docemur. Cf. Bernh. Synt. p. 46. Gravitas autem hujus circumlocutionis atque pretium inde redundat, quod utraque notio aetissime cohaeret nec dissociatur. Haec jam unitas objectiva (bona hoc venia dixerim) ut perspiceretur, epici poetae primum magnam fecerunt circumlocutionum copiam imagine illius unitatis maxime expressa. Satis est commemorasse Homeri *ἑῖς Ἀχαιῶν*, recentiorum *παῖδες Ἑλλήνων*, quae voces

totam populi complexionem denotant. Quae formulae quum maxime majestati populi describendae essent, quum qui arcis colligati sunt stirpium quodammodo familiarumque vinculis bene exprimerent, fieri omnino non potuit, quin recentiores scriptores ex formula *πρῆδες Ἀσκληπιοῦ* id periphrasticum vocabulum adamarent, quo quicumque in verba magistri jurant probantque eandem doctrinam quadam elegantia significarentur. Inde ducendae sunt tales circumlocutiones, quae singularem hominem depingunt remque singularem qualis natura sit et conditio describunt. Cujus generis vocabula sunt *χρῆμα* atque *πρῶγμα*, quibus vocibus molem quandam et numerum exprimi scriptores voluerunt, ita ut prior *χρῆμα* communis esset et vinctae et solutae orationi, ad vulgarem sermonem et quotidianum usum posterior pertineret. Tragici autem poetae ad eandem personae imaginem roboris et magnitudinis depingendam vocem *δέμας* sibi elegerunt fere usurpatam et ab omnibus deinceps poetis ita tritam, ut propria et quasi voluntaria periphrasis potestas deminueretur. Epici denique et imprimis Homerus illa dicendi forma ex indole carminis, quod in exprimenda potissimum et vitae publicae et privatae antiquissimorum Graecorum summa corporis fortitudine eximiorum imagine versatur, talis sibi sumpsit notiones, quibus posset viros robustos validosque illustrare. Quorum conditio quum diversissima sit, in notionibus omnino quae robus corporis adsignificant, illa cernitur vis heroum propria aut agentium aut cessantium. Cujusmodi voces periphrasticae sunt *ἰς, βίη, μένος, σθένος, θυμὸς* rariorque *δέμας*. Cf. Vech. l. l. Sufficiet quae notissima sunt exempla attulisse ut *βίη Πριάμοιο* i. e. *Πριάμος, ἰς Τηλεμάχιοι, μένος Ἀλκινόοιο, σθένος Ἡρακλῆος*, Hes. Th. 951 *ἰς Ἡρακλῆος*, Aesch. Choeph. 885 *Ἀγίσθου βία*. Unde quum nomen proprium augendum esset per attributionem, periphrasis exstitit adjuncto aliquo epitheto. Cf. Hom. Od. 7, 167 *ἰερὸν μένος Ἀλκινόοιο*, Od. 2, 469 *ἰερὴ ἰς Τηλεμάχιοι*, Il. 2, 851 *Παφλαγῶων δ' ἤγειτο Πυλαίμενος λάσιον κῆρ*. Genitivus hic omnino non potuit novo epitheto non augeri, quum facta circumlocutione nominis ipsius vis minuta esset. Nemo dixerit haec exempla etiamsi transitus ab iis fuerit ad alteram de qua disputabimus periphrasis partem pertinere. Nam sic saepissime nomina propria solent duabus vocibus adumbrari, ut legentibus id quod poeta debet summa cum veritate ac perspicuitate quasi sub oculos vocentur. Neque per temporis decursum multum abfuit, quin personarum circumlocutiones ad solam fere periphrasin redigerentur, vi nominis periphrastici paene extincta. Cf. Bernh. S. p. 52.

Ex hoc Graecorum fonte nominum et personarum et rerum describendarum idem genus ad Romanos fluxit, qui usu haud mediocri fines constitutos protulerunt. In enumerandis autem id genus vocibus periphrasticis Vechnerus copiosissimus est. Sunt quae solent apud eos usurpari nomina notione roboris et fortitudinis valentia veluti virtus, mens, numeri, vis. Cf. Hor. Carm. III. 21, 12 virtus Catonis. Sat. II, 1, 72 virtus Scipiadae. Sat. I, 2, 32 sententia dia Catonis. In soluta oratione quum locus omnino esset Ablativo (neque Germani aliter dicunt) Nominativus substantivi abstracti mentem indicat hominis agentis, qui quo moveatur animo quoque feratur impetu bene demonstratur. Id ut melius perspiciatur, non alienum est commemorasse Graecos Romanosque Genitivis substantivorum possessionem adsignificantium substituisse epithetorum Nominativos, ut artes paternae. Altero loco voces afferam, quae ad hominis naturam depingendam ut forma, facies, imago, vultus, corpus aliaeque leguntur. Cf. Virg. Aen. 7196 corpus Turni, quod Graecorum *δέμας* est. Praetera Virg. in Aeneide saepissime vocibus *urbs, moenia, fons, annis* usus est periphrasticis neque difficili negotio Homeri *Ἀθήνων γῆρα* imitans effinxit in Aen. I, 130 *urbs Trojae*, III, 293

Buthroti urbem, VI. 588 Elidis urbem, I, 263 moenia Lavini, in quibus cunctis circumlocutionibus universali notioni Genitivum obtinenti singularem subjectam esse ad intelligendum facillimum est. Eadem autem notio universalis quadam etiam gravitate effertur, quum si Virgilianum illud moenia Lavini explicaveris, urbs circumdatis moenibus facta praedicetur paullulum habita ratione conditoris. Quas denique Vechnerus in tertia periphrasis parte quae inscripta est in appellativis attulit voces, magnus eorum numerus Romanis quoque negotium circumloquendi bene gesisse documento est. Usitatissimum apud eos est vocabulum tergum ad latitudinem describendam terrarum mariumve longe patentium aut animalium longitudine prae ceteris excellentium. Pulchre dictum est Lucr. VI, 211. tergum terrae, Homero auctore, qui pontum insignivit vocibus *εὐρέα γῶτιν θαλάσσης*. Quisque enim et tergum et mare contemplans sibi videri potest ita videre, ut utriusque superficiem tergum cogitet esse rei late projectae, cujus quasi facies a nobis aversa est. Reperiuntur deinde apud Virgilium ad molem animalium illustrandam terga ferarum, terga suum, terga juvenum, quorum numerus facile possit a nobis augeri. Maxime vero inter antiquiores poetas circumscribendi animo indulsit Lucretius, cujus audaciam sane admiremur oportet. Cujusmodi compositiones sunt secla ferarum, animantium, virorum, hominum, bucera (i. e. boum) secla, Rindvieh, quae quum ad discrimen sententiae fere nihil conferant, nihil fere nisi speciem formulae prae se ferre videntur. At quum apud eundem Lucr. VI. 201 pro simpli vocabulo vas legimus „lateramina vasi, (verfertiges Thonwerk), vehementer delectamur. Cf. I. 28 ubera lactis, quo et origo et multitudo verissime denotaretur. Atque in periphrasticis horror ferri aut rigor ferri aliquid inest quod inter simplicem vocem et periphrasin intercedat neque gravitate sententiae inferiora sunt quam ipsum ferrum. Plurimus autem ejus usus est qui fit per neutrum numeri pluralis. Cf. Luc. I, 87. prima virorum, τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν, 1068 prima viai, 660 vera viai, 341 sublimia coeli et sim. de quibus conferendi sunt interpretes et Matth. gr. § 438. Ex iis denique quae relinquuntur afferatur Romanorum vis, Graecorum σθένος toties usurpata, ut notionem omnino circumlocutionis depravatam videas, ut vis aquae, hederæ. Nam quo universaliori voce utuntur, eo frequentiore usu factum est, ut potestas formularum quarundam deminueretur sensimque delitesceret. Ex quo genere Graecorum sunt *χοῦμα* et *ἔργον*, id quod Romani imitati sunt substantivis res, causa, opus adscitis. Plurimum exemplorum loco libet unum afferre res cibi pro cibo. Cf. Lamb. Hor. carn. III, 5, 13. Vehementer autem et inter Lucretianum illud lateramina vasi et inter res cibi interesse in aprico est.

Ex hac autem Graecorum consuetudine nomina pluribus verbis exponendi illa denique nata est consociatio duorum nominum quae quum paene idem valeant ad pleonasmum videntur accedere. Magna tragicorum his formulis redundantium copia ab interpretibus congesta est. Nobilissimum exstat exemplum in Soph. Ant. 420 *ὅταν κενῆς εὐνῆς νεοσσῶν ὄρφανὸν βλέψῃ λέχος* ubi periphrastica locutio *εὐνῆς λέχος* nominum idem significantium paene ad pleonasmum accedit, qui iterata insuper vacui notione a quoque facile agnoscitur. Alia id genus exempla G. Hermannus in notis ad Aesch. Prom. 812. scriptis collegit. De Euripideo autem usu Personus qui tales pleonasmos apud tragicos dicit abundare et interdum reciprocari plura congestit ad Eur. Hec. 298, ut *κοίτας λέκτρον* Med. 436, *λέκτρον κοίτας* Alc. 946. Ex his autem Euripideis *κοίτας λέκτρον* atque *λέκτρον κοίτας* comparatis facile reperiuntur qui a Porsono stare ac nihil velint nisi solum Pleonasmum agnoscere. Nihilominus tamen in hac nominum paene idem

valentium conjunctione aliquid est, quod inter utrumque intercedit discriminis nec haec quidem exempla pleonasmis adnumeranda esse interpretes et grammatici jam dudum docuerunt. Juvat Aesch. Prom. v. 6 δεσμῶν πέδαί explicare. Δεσμός omnino vinculum significat quo quid vincitur, πέδαί autem est pedica vel compes, qua pedes colligantur. Illi igitur substantivo universalior, huic magis singularis subjecta est potestas. Eademque ratione locus quem laudavimus Sophoclis εὐνῆς ὄρφανὸν λέχος explicandus est, quem nostro sermone interpretamur: „des leeren Bettes verwaistes Lager.“ Romani quoque hoc genus dicendi imitantes simile quiddam efficere studuerunt. Huc enim tales mihi videntur circumlocutiones pertinere quales Lucretii aliorumque sunt tempus horae, tempus otii, tempus noctis; punctum diei; auras aeris habet Lucr. I, 180, cujus loco I, 771 aurae aëriae leguntur. Inde a poetis Graecorum etiam ad scriptores id genus fluxit; veluti ἀγὼν μάχης. Cf. Bernh. Synt. p. 52. Quare Thucydidi libuit scribere I, 22. τὰ ἔργα τῶν πραχθέντων, quibus quaecunque gesta sunt intelliguntur. Haec hactenus de periphrasi substantivorum.

Sequitur alterum circumloquendi genus, cujus alterum substantivum Genitivi vicem sustinens per epitheton ad Nominativum revocatum exprimitur. Huic dicendi usui, cujus primus Homerus proposuit imaginem, excolendo Tragici potissimum operam dederunt, ut eorum maxime proprius inveniatur. Circumlocutionis enim alterum substantivum adjectivo ejusdem stirpis permutatur, quo permutato sententiam quoque extenuari aut augeri non contenderimus. Permutatio igitur fit salva omnino sententia neque in ulla re quod inter utramque dictionem discrimen esse volumus nisi in ipsa forma cernitur. Nam Genitivus periphrasticus omnino est indicandis rebus, quae alicujus sunt ideoque possunt etiam per adjectivum exprimi. Adjectivi autem ea ratio est, ut quodcumque ad rem aliquam personamve pertinet, animo conceptum proponat. Adjectivum igitur quum ad qualitatem rei spectet, propriam singularum rerum naturam exponit expositamque praedicat. Discrimen autem et inter hanc et illam circumlocutionem dicimus id esse, ut Nominativus adjectivi Genitivo mutati magis speciem praebeat dictionis poeticae. Ita adjectivum ut paucis repetamus propter rhetoricam quae in eo inest naturam justum substantivum a sua sede quasi removet. Rem ipsam exemplo illustrabimus, quod legitur in Soph. El. v. 347 τοῦ κασιγνήτου τί Φίς. Τί pronomen interrogativum cum Genitivo consociatum efficit periphrasin, ut haec verba prorsus in sententiam adjectivi abeant idemque significant atque ἀδελφικά. Nam quod partem alicujus rei constituit, ut philosophi ajunt, aperte tanquam ejus accidens commemoratur. Genitivus igitur quum commode possit adjectivo permutari, praepositio περί quam intelligendam esse recentiores interpretes vulgo putarunt, non est cur in tali verborum structura ad perspicendam Genitivi naturam advocetur. Addimus notissima Homericā νόστιμον ἡμῶν pro νόστου ἡμῶν id quod nos exprimimus, der Tag der Heimkehr, atque νόστιμον Φῶος, dies salutis, der Tag des Lichtes. Jam praeunte Homero poetae ut antea pro Hercule βίη Ἡρακλέους, ita postea dixerunt βίη Ἡρακλήει. Cf. Soph. O. R. 267. τῷ Λαβδάκειῳ παιδὶ Πολυδάρου τε καὶ etc. pro Λαβδάκου, unde alter Genitivus Πολυδάρου ad alterum ex adjectivo eruendum ac mente intelligendum relatus est. Hoc exemplo bis utitur Eustathius ad illustrandas similes Homeri constructiones, ut Hom. Il. 2, 54. Νεστορέη παρὰ νηὶ Πυλῆγενέος βασιλῆος, Il. 5, 741 ἐν δὲ τε Γοργέη κεφαλῇ δεινῷ πελώρου. Aliter Bernh. statuit, qui in explicandis his locis in Synt. p. 427 a vulgari interpretum opinione paullulum recedit atque constructionem quae dicitur ad sensum vehementer impugnans epitheton periphrasticum nomini regenti liberiore structura accommodari voluit.

Innumera apud Sophoclem aliosque adjectivi Patronymici Nominativo juncti exempla proferuntur. Cf. Soph. Aj. 134, Trach. 51. 170. 576. El. 470. O. C. 1494. Ποσειδωνία θεῶ. O. R. 1105 Βακχεῖος θεός. Ex hac autem consuetudine dicendi fieri non potuit quin poetae ducta ex nominibus appellativis adjectiva casui recto adjungerent. Non miramur igitur, qui in Soph. Ant. 801 legamus πετραία βλάστη, der felsige Wuchs, i. e. der Wuchs des Felsen. Ant. 848 ἔρμα τυμβόχωστον, qui est carcer ita defossus, ut condito cadavere tumulus fiat. Ant. 1022 αἶμα ἀνδροφθόρον pro αἶμα ἀνδρὸς φθαρέντος, cl. Aesch. Ag. 825 ἀνδροθνής φθορά. O. R. 184 ἀκτὴ βώμιος, i. e. eminentia arae, Altarerhöhung, Altarhügel. Ara enim in altitudinem eminent, quocirca dicitur ἀκτὴ, cui quum nomen principale esset epitheto ornandum, βώμιος adjectum est. Epitheton autem βώμιος Genitivi locum tenere docet Aesch. Cho. 718 ἀκτὴ χύματος. Soph. As. 1029 θυστάδες λιπαί, Opferflehen, preces sacrorum, quae ad sacra rite facienda adhibentur cl. Aesch. Sept. 275. θυστάδος βοῆς. Denique apud Aesch. Aeg. 56 ἀλώσιμος βάξις, oratio captiva est captivorum. Adjectivo enim quod in locum successit, substantivi damnum quodammodo compensatur, quum omnis in eo nominis potestas sita sit. Ut autem duo nomina circumlocutionem efficientia conjunguntur, ita etiam adjectivum nomini junctum quam aretissime cohaeret atque in unam cum eo eamque non dissolubilem notionem coalescit. Quam si interpretamur, eam aut exprimere per substantivum compositum aut adjectivum per justum casum reddere juvat. Rem ita esse facile apparebit ex Soph. O. C. 407. ἐμφυλον αἶμα, Verwandtenblut, et ex Eur. Or. 833. αἶμα μητροκτόνου, Muttermord. Postremo qui restant locos asserre placet, quos si explicabis, genitivum objectivum in epitheto inesse intelliges. Ejus generis sunt Aesch. Sept. c. Th. 74 ταύρειος φόνος cl. Eur. Hel. 1598. Iph. T. 72 Ἑλλην φόνος. Bach. 795 θῆλον φόνου, 1067 ταυρέϊω σφαγῇ. In quibus exemplis epitheton rem adsignificat personamve, quae ad mortem datur. Similiter legimus in Soph. Aj. 55 πολύκερων φόνου, ein vielhörniger Mord, i. e. ein Mord an vielem Hornvieh vel grosser Hornviehmord, quam non solum caedem dicimus pecoris cornigeri sed cum Scholiasta φόνου πολλῶν κερασφόρων. Neque per πολύκερος prorsus aliam sententiam exprimi quam per ἐκκερων neque numerosam praedam cornigeram absonum est πολύκερων ἄγρην dici. Lobeck in editione II. finem adnotationis v. 52. adscriptae imponit his verbis: „ac κολύκερος φόνος quantumvis a nostra sensu abhorrens, tamen non licentius est quam γηγενῆς μάχη Eur. Jon 987 τετρασκελῆς πενταυροπληθῆς πόλεμος Herc. 1272 atque plurima talia, quae neque mirari desinimus neque mutare audent, quia quum ἄλλοθεν πόλεμος Dionys. Antt. V, 5 pariterque temperata probaverimus, quae his minutatim et gradatim accomodata sunt, repudiare non possumus.“

Juvat videre qualis sit apud Romanos hujus generis dicendi usus. Atque hos quoque nominibus junxisse epitheta constat, quae si interpretari voles, non commode explicare nisi per Genitivum poteris. Pauca exempla tantum Vechnerus enumerat, quibus quaedam ex Lucretio atque Horatio petita adjiciemus. Lucr. II, 42. Cadit in terras vis flammea vulgo, I, 189 candens lacteus humor, i. e. candor lactis, in quo loco interpretando duplex praedicatum in Lucretio neutiquam offendere interpretes docent; VI, 388 fulgentia coelestia templa, in cujus loco sexcenties dicere templa coeli poeta adamavit. Hor. carm. I, 3, 36 perripit Acheronta Hercules labor pro Herculis labor, i. e. Hercules laboriosus. Carm. I, 2, 20. uxorius amnis, III, 16, 11 ictus fulmineus, quae verba bene convertimus „Donnerschlag“, I, 4, 17. Plutonia domus. Ex poetis deinceps ad pedestris orationis scriptores manavit haec loquendi consuetudo et nomen imprimis gentili alicui adjectum ad majestatem populi describendam circumlocutionem

efficit. Vechnerus hanc appellat periphrasin gentilium eaque Livium incredibile quantum delectari dicit. Atque constat eum nomen Latinum pro Latini, nomen Romanum pro Romani locutum esse. Cf. Heus. ad Vech. l. 1.

Sequitur altera disputationis pars, in qua de epitheto in periphrasi substantivorum nomini principali juncto disseretur. Ex iis autem, quae huc usque disputata sunt, utrumque substantivum pro certo habemus unam notionem efficere quodammodo objectivam. Cujus circumlocutionis fines si alterius nominis epitheto proferuntur, ad Nominativum vel ad casum regentem a poetis plerumque relatum esse epitheton videmus. Causa hujus rei Graecis Romanisque usitatissimae, quae quo liberior et audacior epitheti trajectio est, eo magis animos arripit atque delectat, cernitur in ipsa circumlocutione, quo nomina ita conjuncta sunt, ut Nominativo Genitivus omnino potestate ac vi inferior sit. Nominativus igitur, quum Genitivum epitheti logica sententia requirat, tamen liberiore structura illud sibi acciscit. Haec vero est virtus Graecae poesis, quod in consociandis translationibus non logicam veritatem, sed vim quam singula quaeque ad animum movendum habent respicit. Jam commemoravimus Homericum illud Γοργείη κεφαλὴ δεινοῦ πελώρου, das Gorgonenhaupt des schrecklichen Ungethüms. Unde factum est, ut quum in tali consociatione epitheton cum substantivo in unam notionem coalesceret, utrumque eundem casum obtineret. Cf. Soph. Aj. 7. εὖ δέ σ' ἐκφέρει κυνὸς Λακκαίνης εὐρινος βάσις. Brunck. qui tale quid per enallagen quae dicitur casuum dictum esse ostentat, optime vertit „sagax investigatio“, Spürgang. Quo in loco jam veteres interpretes dubitarunt, utrum Genitivus esset εὐρινος an Nominativus. Libanius primus perinde ut Etym. M. εὐρινος βάσις ἢ εὐόσφρητος πορεία Nominativum esse intellexerunt, quoniam poetis familiare est epitheta trajicere. Neque vero Genitivum εὐρινος ab εὐρινον deductum, sed Nominativum et quae antecedunt verba κυνὸς Λακκαίνης, quod canum genus apud Vett. ferebatur sagacissimum, flagitant et docet esse dictio poetica et Ulixi cum cane comparatione comprobatur. Neque βάσιν κυνὸς communem esse Ulixi, sed βάσιν εὐρινον quae eum veluti canem sagacem e castris eduxerit, manifestum est. Atque εὐρινον βάσιν vix vim praebere epitheti trajecti cum Lobeckio consentimus, si contuleris cum Eur. Herc. 450 γραῖαι ἕσσαν πηγάι, Bacch. 1158 λευκοπήχεις κτύποι χερσῶν et sim: Quodsi Lobeckius nos ne codicum quidem auctoritatibus satis confidere posse exemplis docet, quum discrepantia librorum non ita magna sit, ei rei non multum tribuendum videtur, nisi vero ipsi critici epitheta quo ejusque libido fert transverterunt, veluti Blomfieldio Pers. 252 τοῦδε Φωτὸς δράμημα περσικόν aptius videbatur περσικοῦ Elmslejus et Matth. in Eur. Aul. v. 1266 pro λέπτρων ἀρπαγὰς ἑλληνικὰς requirunt invitis etiam codicibus ἑλληνικῶν, quorum neutrum Lobeckius admiserit. Ἀρπαγὰς autem reginae, quae ut armis recuperaretur tota fere Graecia expeditionem fecit, nonne quisque judicabit facete a poeta dictas esse ἑλληνικὰς, der Hellenenraub? Atque Brunckii qui harum formularum non ausus est quidquam mutare in Anth. Pal. VI. 230 πριστόν ψήκτρης κνήσῃμα σιδηρόδετον Genitivum maluit proferre, quum utrumque substantivum unam notionem (quam nos dicimus Pferdestriegel) efficiat, cui soli epitheton legitime adjungitur. Quamobrem Jacobsius jure opponit in periphrastica circumlocutione epitheton plerumque copulari eum eo quod periphrasin faciat. Ac profecto Matthiaeum ad Eur. Ph. 30 hanc uti vocat enallagen Lobeckius bene perspexit justo arctioribus circumscripsisse finibus, quum eam diceret ibi tantum locum habere, ubi vel substantivum cum Genitivo periphrasin faciat vel Genitivus commode abesse possit. At haec nollemus Matth. elocutus esset. Fefellerunt eum haud dubie qualia sunt Soph. Ant. 197 ξύναιμον νεῖκος ἀνδρῶν,

Tr. 960. ἐξόμιλος βίας ξένων, ubi Genitivus nequaquam ab omnibus interpretibus requiratur. Cf. Aesch. Ch. 1063. ἀνδρὸς βασιλεία πάθη, id quod nos interpretamur Königsleiden des Mannes Soph. Ant. 197. ξύναιμον νεῖκος ἀνδρῶν, Verwandtenzwist (der Männer), Ant. 345. πόντου εἰναλίαν Φύσιν, das Wassergeschlecht des Meeres. Trach. 817. ὄγκον ὀνόματος μητρῶν, Mutterwürde, deren Namen sie hat. Quodsi haec verba ad pedestris orationis leges institueremus, ex epitheto Genitivum a voce ὀνόματος pendentem peteremus. Simillimum hujus structurae exemplum exstat in Plat. Lach. pr. παππῶν ὄνομα ἔχει τοῦμοῦ πατρός, er hat den Namen des Grossvaters, der mein Vater war, quae verba si ex παππῶν Genitivum reddideris atque πάππου substitueris, optime explicata erunt. Romanorum unum tantum placet afferre locum ex Hor. Carm. IV. 24, 59. perjura fides patris, Meineid des Vaters. Haec Germanorum prima est interpretandi ratio.

Alter a usitator et ut nostrae linguae indoli, ita Graecorum Romanorumque convenientior ea est, ut utrumque circumlocutionis substantivum per substantivum compositum reddamus. Simplicissimum est Homeri ἐμὰ κήδεα θυμοῦ mein Herzensleid, quae interpretatio neminem fere offendet. Cf. Aesch. Ag. 512. δεκάτῃ Φέγγει τῶν ἔτους, in diesem zehnten Jahreslicht. Soph. Ph. 1124. πολιᾶς πόντου θινὸς ἐφήμερος, am gräulichen Meergestade sitzend. Eur. Or. 225. ὃ βοστρύχων πινῶδες κάρη, verwildertes Lockenhaupt. Lucr. II. 501. Thessalico concharum colore, Thessalische Purpurschneckenfarbe. Hor. Carm. IV., 2, 57. curvatos imitatus ignes Lunae, quibus crescentem lunam parvam bene illustrat. Ep. II, 7. superba limina civium, stolze Bürgerschwellen, quasi limina testes essent superbiae Romanorum civium. In quibus circumlocutionibus si Nominativus per epitheton a nomine proprio ductum augetur, Genitivo id legitime requirenti apponere juvabit. Cujusmodi sunt Lucr. I, 154. Phoebi Delphica laurus, pro Delphici, nisi forte quis reddere mallet der Delphische Lorbeer des Phöbus, Lucr. I, 485. Alexandri sub pectore Phrygie V, 24. Nemealus hiatus leonis, quibuscum conferri licet Eur. Andr. 159. ἡπειρώτις ψυχὴ γυναικῶν, quibus excusari Lobeckius ait λέκτρων ἀρπαγὰς ἑλληνικὰς et δρόμημα περσικόν.

Tertia denique ratio interpretandi flagitat, ut epitheton cum Genitivo quo pertinet conjunctum per substantivum compositum exprimamus. Cf. Eur. Iph. Aul. 233. τῶν γυναικῶν ὄψιν ὀμμάτων, in quibus γυναικῶν Chalcidensium feminarum epitheton ad Genitivum relatum exprimit, id quod nos possumus dicere Weiberaugenblick, Soph. Ant. 863. μητρῶνι λέκτρων ἄται, maternae nuptiarum noxae, Lucr. VI, 1063. Magnesia flumina saxi, Strömungen des Magnetsteins sive Magnetströmungen, Lucr. VI, 1073. purpureusque colos conchyli, Farbe der Purpurnuschel. Esse denique locos, in quibus epitheton in nostra quoque lingua per adjectivum commode reddatur, per se intelligitur. Cf. Eur. Supp. 1143. ἄϋπνα τ' ὀμμάτων τέλη, vigiliae oculorum somni expertium, schlafloser Augen Pflichten, nisi forte quis interpretari maluerit, schlaflose Augendienste. Soph. Aj. 672. νυκτὸς αἰανῆς κύκλος, dunkler Nächte Kreislauf. Is locus ex iis est, qui opera interpretum Genitivo αἰανῆς a sua sede remoto trajectoque ad Nominativum restitutus est. Soph. O. T. 1375. ἀλλ' ἢ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφήμερος βλαστοῦσ' ὅπως ἐβλαστε, quae verba Br. optime vertit: jucundumne dices futurum fuisse mihi liberorum adspectum in lucem editorum? Ac profecto neque potui in interpretatione Hermanni acquiescere, qui mutata interpunctione participium βλαστοῦσ' ad verbum ἐβλαστε rettulit, cuius notio premeretur et amplificaretur, neque Lobeckio assentiri, qui veterem librorum scripturam amplectens βλαστοῦσ' ἐβλαστε referenda velit ad illam translationum libertatem, qua pars pro toto dicatur. Immo nomini primario, quod explicatione eget Genitivus, ut unitatem notionis

efficiat, ita adjectus est, ut periphrastico nomini graviore epitheton addatur sententiae causa gravioris. Cf. Hor. Carm. III, 1, 42 purpurarum sidere clarior usus. Cf. Math. gr. gr. § 446. N. I.

Ut autem praeter periphrasin factum est, ut adjectiva primario casui apponerentur, ita etiam ubi licuit non semper epitheton translatum esse exempla demonstrant. Cf. Soph. Ant. 104 ὃ χρυσέας ἀμέρας βλέφαρον, quocum conferri licet Eur. Ph. 553. νυκτὸς ἀφ' ἑγγέας βλέφαρον. Eur. Tro. 1208 συνλευμάτων Τρωικῶν κόσμος cll. v. 1220 Φρύγιαι πέπλων ἀγάλματα.

Ne quid negligere videamur, pronominum etiam possessivorum mentio fiat, quae eandem quam epitheta regulam sequuntur ac legitime accomodantur nomini principali. Hac quoque loquendi genus primus auspicatus est divus Homerus ut in Il. ξ. v. 197. ἐμὰ κῆδεα θυμοῦ. Sufficit enumerare Soph. O. T. τοῦμόν πατρός ἄιμα. O. T. 1390 τοῦμόν Φρενῶν ὄνειρον. Cf. Lob. ad Aj. 7. adn. 1.

Jam quam rem nobis tractandam proposueramus, etsi non ab omni parte absoluta queat videri, ducimus tamen eam ita illustratam esse, ut discrimen possit inter hoc dicendi genus et vulgare cognosci. Ex sola autem adjectivi natura et poetae ingenio tales formulas aestimandas esse demonstravimus, quae magnam sane nobis faciunt mirationem quaeque quam dulces sint ac suaves saepius magis percipiuntur quam perspiciuntur. Quare artes illas rhetorum exulare malumus, ut enallagen, hypallagen, quas vet. interpretes vulgo advocarunt. Qui enim schematis alicujus praetextu reconditiores constructiones putant detegi atque illustrari, verae linguae indoli cognoscendae vehementer obstant. Qua de causa Fritzschio laudi duco, quod hypallagen refutat inane Grammaticorum commentum. Veteres enim Grammatici et Scholiastae etsi explicantes figuris usi sunt, nihil tamen aliud aut potuerunt aut voluerunt nisi ut alterum usitatius esse significarent. Quid autem juvat scire discrimen esse, nisi quale sit simul intellexerimus? Nostrum igitur est semper ita interpretari, ut mutatae constructionis causa appareat et discrimen inter hanc et vulgarem perspiciatur. Iis autem, quae de epitheti traiectione a me pertractata sunt, rhetoricam adjectivi naturam evoluisse mihi videor. Hanc vero indolem docent et adjectiva temporalia, quae adverbiorum locum sustinentia personas magis illustrant, et probant adjectiva composita, quibus substantiva composita Graeci evitare studuerunt (ut in Soph. Ant. v. 1062 ἀμιλλητῆρες προχοί et sim.), ipsa denique adjectivi in periphrasi substantivorum collocatio luculenter demonstrat.